

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 14

Ego in Dei nomine illuster vir Pippinus, filius Ansgisili quondam, necnon et illustris matrona mea Plectrudis, filia Huogoberti quondam, cogitantes casum humanae fragilitatis, qualiter peccata nostra possimus abluere et donante Domino ad aeterna gaudia pervenire. Idcirco ob honorem domini nostri Ihesu Christi donamus donatumque in perpetuum esse volumus ad monasterium nostrum, quod est in honore sanctae Trinitatis et apostolorum Petri et Pauli et sancti Iohannis Baptistae in loco cognomento Epternaco in pago Bedensi super fluvio Sura in re proprietatis nostrae edificatum, ubi decrevimus et constituimus virum strenuum et Dei cultorem apostolicum domnum Willibrordum episcopum una cum turma monachorum sub sua gubernatione vita sancta et regulari degere et conversari, hoc est: illam medietatem de ipso Epternaco, quam Theotarius quondam dux ibidem tenuit, et postea filius suus Theodardus quondam nobis tradidit, praeter illam rem quam Ermina in ipso Epternaco tenuit, quantumcumque in ipsa medietate nostra in ipso Epternaco a die presenti nostra videtur esse possessio vel dominatio, cum terris, cum domibus, aedificiis, acolabus, mancipiis, litis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, mobilibus et immobilibus, farinariis, pecoribus utriusque sexus, quantum in ipsa medietate in ipso Epternaco presenti tempore possidemus, cum omni integritate de iure et dominatione nostra in iure et dominatione predicti monasterii vel rectoribus suis seu successoribus et omni congregationi ibidem consistenti tradimus atque delegamus perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ut ibidem omni tempore pro mercede nostra proficiat in augmentis; ea ratione ut ipsum monasterium in nostra vel heredum nostrorum dominatione vel defensione in antea semper permaneat. Et illud nobis placuit inserendum, si fuerit ullus de heredibus vel propinquis nostris, seu quaelibet ulla extranea aut opposita persona, quae contra hanc donationem, quam nos plena et integra devotione pro animae nostrae remedio fieri et affirmare rogavimus, venire aut agere temptaverit, et ipsa carta ei ad relegendum ostensa fuerit, et se ex hoc compescere noluerit, primitus iram Dei incurrat et a liminibus sanctorum efficiatur extraneus, et inferat partibus ipsius monasterii, vel cui litem intulerit, tantum et aliud tantum, quantum res ipse eo tempore emelioratae valuerint, et inferat una cum socio fisco auri libras X, argenti pondo XX coactus exsolvat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donatio ad instar testamenti cum stipulatione adnixa omni tempore firma stabilitate capiat firmitatem. Actum Gaimundas publice sub die III Idus Maias, anno XII regni domini nostri Childeberti gloriosissimi regis. Pippinus et coniunx eius Plectrudis. Drogo. Chuchobertus episcopus. Garebaldus episcopus. Bernarius episcopus. Constantinus episcopus. Josephus. Winetaharius episcopus. Chariganto. Agione. Crodebaldus. Cardimus. Remedius. Bainingus.